



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi  
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

33 Defendere seipsum, vim vi repellendo, unicuique, etiam privato gladio  
temporali, licet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

& armis muniverat, deuentum fuit ad arma.

32 Nam Papa  $\dagger$  utrumque gladium habet, spiritualem, & temporalem, *Luc. cap. 22. Paul. 1. Corinth. cap. 6, cap. 1, §. in hac, de major. & obed. in extravag. com. Bersat. conf. 124, num. 63, lib. 1. & post Archid. in cap. quoniam, 10, dist. Bald. in l. cum multa, num. 2, C. de bon. qualib. ubi, quod Constantinus in resignatione regium resignavit beato Sylvestro gladium, ostendens non legitimè se habuisse, cum ab Ecclesia non receperit; Papæ enim, & temporali gladio vim vi repellere, & injustis armis,  $\dagger$  justa Romanæ Ecclesiæ armia opponere licuit, cum gladio temporali ad propriam defensionem unicuique, etiam privato, liceat uti, glosfin, in cap. dilecto, in fine. & ibi Jo. Andr. Dom. & Franc. de sentent. excomm. in 6. Et propterea Papa validum, tum pedatum, tum equitum exercitum in statu ecclesiastico conflari, & apparari jussit,*

34 ac fecit, quia bellum  $\dagger$  justum invasorem propulsando, & bona occupata repetendo, ei indicere, & facere licebat, *cap. justum, 23, quæst. 3. Abb. in cap. excommunicatus, 1, num. 8, de heret. & Navarr. in cap. contrarium, num. 4, de paenit. dist. 5, tom. 1.* Justa enim bellandi causa cum Principiis auctoritate, & intentione, seu animo, & modo re $\ddot{e}$  bellandi justum bellum efficit, & militare non est delictum, *Luc. cap. 3, vers. & ait illis, cap. militare, 23, quæst. 1. & Navarr. d. cap. contrarium, num. 3, & s.*

Papa autem, ut Pii pastoris officium, & paternam curam in omnibus partibus integrè geret, cum primò armis ecclesiasticis, nempte censuris in executionem

sententia pro dicti Ducatus recuperatione usus fuisset; ac demum paratum exercitum haberet, ut quantum fieri posset, sanguinis effusioni parceretur, Pe- strum:  $\dagger$  Aldobrandinum Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinalem ex fratre nepotem, Legatum de latere cum dicto exercitu misit, cuius opera, ingenii, ac virtutis præstantia, dux Mutinæ, ut bonum decet Principem, juri acquievit, eidemque Camerae, & Sedi Apostolicae  $\dagger$  Ducatum Ferrariae restituit, armis depositis sine aliqua sanguinis effusione.

Et, cum ex præmissis procul dubio conster, civitates, castra, & terras Sedi Apostolicae immediatè subjectas, per devolutionem eidem Camerae Apostolicae incorporari, ut in causa ejusdem feudi Ducatus Ferrariae de anno 1596. fuit per Papam sententiatum constitutionibus, & juribus supra allegatis, quæri potest, quid juris in devolutionibus,  $\dagger$  terrarum, castrorum, ac locorum, mensarum Episcopalium, & Abbatialium, pro quibus ab Episcopis, & Abbatibus, alii que Prælati, solent utiles domini infeudari. Et videtur, quod Prælati feuda ad eorum Ecclesiæ devoluta possint aliis infeudare in tribus casibus.

Primò, decedente vasallo sine descendenteribus, & feudo devoluto.

Secundò, filium, vel consanguineum alienantis ejusdem feudi consortem.

Tertiò, feudum alienatum, quod Prælatus facile recuperare non potest, alicui laico in feudum concedere, qui, & illud recuperet, & in feudum ab Ecclesia recognoscatur, ut text. in d. cap. 2, de feudu, & ibi Abb. num. 3. etiam non obstante juramento, quod à Prælatis præstatu